



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XXI. De Secundis Nuptiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

esse videatur: censetur autem fieri pauperior, quando diminuitur ejus patrimonium ante habitum, non, si non acquirat, quod tamen acquirere posset. Hinc in gratiam uxoris validè repudiat legatum vel hæreditatem, cum sic non minuatur ejus patrimonium, nec donans pauperior evadat.

## TITULUS XXI

De

### Secundis Nuptiis.

**QUÆRES 1.** Quid sint secundæ nuptiæ? Respond. Nomine secundarum nuptiarum hoc loco intelligimus omnes illas, quæ post primas morte vel aliter solutas, contrahuntur, sive secundæ fuerint, sive tertiæ vel etiam ulteriores; nuptias enim quotiescunque iteratas Christianis permissas esse, Apostolico probatur elogio, *1. Tim. 5. & 1. Cor. 7.*

**QUÆRES 2.** Quid requiratur ad secundas nuptias validè & licitè contrahendas? Respond. Duo requiruntur, unum de jure civili, ut observetur annus luctus, quo non observato transiens ad secunda vota pro infami habetur; quod non procedit de Jure Canonico; alterum ut constet prius matrimonium esse verè solutum, & de ejus dissolutione habeatur certitudo; quàm diu enim dubium est de alterius Conjugis morte, matrimonio abstinendum erit, quod si stante tali dubio contractum fuerit, se-

Gg 3

para-

parari non debet. *cap. 2. b. t.* dixi requiri certitudinem intellige moralem, qualis etiam per unius testis elogium haberi potest.

QUÆRES 3. Quæ inter primas & secundas nuptias differentia? Respond. Inter primas & secundas nuptias de Jure Canonico non est differentia nisi quòd secundæ non benedicantur, ut primæ, Jus autem Civile plures statuit differentias, & diversos assignat effectus, qui cum ad forum nostrum non pertineant, operæ pretium non iudicamus immorari.

*Finis Libri Quarti.*



LIBER